

Amico unanimi amicus unanimis B. idem velle et idem nolle in domino.

Etate filio, dignitate patri, nobilitate prestanti^a A. debite famulatum^b servitutis.

Eloquentię micanti fulgoribus, in fide et mathemate huius [mundi] radianti lapidi quadrifido^c Rachelis^d conubia post Lie basia, [vel^e] Rachelis suavia.

Nam quibuslibet personis quomodolibet scribi valeat, ut opinor^f, diximus, quibus diligenter perspectis lector alias potest concipere. Nunc vero de unoquoque modo singulas epistolas subitiamus; sed primum á sublimi incipiamus^g.

G. egregio et nobilissimo domino, natura et sapientia splendidissimo, W. societatis et dilectionis vinculum. Bonorum frequens astimulatio de tuis sanctissimis moribus in hoc^h me desiderium provocavit, ut amicitias tuas impacienter exoptem. Nam quiⁱ bonorum vel plurimum ore celebrantur^k, et probitatis sunt fama laudabiles merito et^l bonis omnibus sunt amabiles; preconia etenim, quę de te a plurimis efferuntur, veraci, si expertus sum, ore promuntur. Es quippe natura preclarus, sollerti pectore gnarus, factis conspicuus, moribus egregius, largitate perfusus. Idcirco, amabilissime domne, tuam, ut dixi, amicitiam^m inconprobabiliter expetensⁿ has tibi litteras [scripsi^o], orans et summa prece depostulans, ut, quid tibi fratri meo placeat, quamcito rescribas.

G. superno munere siquidem^p W., honeste indolis adolescenti, mutuę dilectionis affectionem¹. [Accepimus^q] litteras nostrę amicitie petitorias, frater amabilis, quas [ad nos^r] direxisti^s, quibus nostro cordi ingentem leticiam ingessisti. Quis enim mentis sciolus tuis honestis moribus non avide inhereat! Quis, cum tue preclare dilectionis^t unionem adipisci valeat, nunc^u preturam non mereat! Quis nobilis viri familiaritatem spernat, affabilitatem^v contempnat, industriam fugiat!

a) 'pt' Hs. b) 'familicium' Hs. c) 'huius radiante lapidi quadrifide' Hs. d) 'Rachelisque' Hs. e) 'vel' fehlt Hs. f) 'opnor' Hs. g) 'subicimus' wiederum Hs. h) 'h' Hs. i) 'Namque' Hs. k) 'celebratur' Hs. l) 'a' Hs. m) Das erste c des Wortes ist aus t korrigiert. n) 'expet'es' Hs. o) 'scripsi' fehlt Hs. p) 'Siq' Hs. q) 'Accepimus' fehlt Hs. r) 'ad nos' fehlt Hs. s) 'rexisti' Hs. t) Ursprünglich 'dilectionis preclare', dann durch Ueberschreiben von b und a umgestellt. u) 'ñ e' Hs. v) 'effabilitatem' Hs.

1) Die Ueberschrift dieses Briefes klingt in bemerkenswerter Art an die Einleitung zur Schrift des Albert von Samaria an.